



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Cap. I. Materia, & forma propositionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

est sapiens : & quia rursus hæc, non omnis homo est sapiens, non omnis homo est non sapiens, sunt subcontrariæ, propter id, quod inferunt has subcontrarias strictas, aliquis homo est sapiens, aliquis homo non est sapiens : sed de his satis infra tract. 4.



TRACTATUS III.

De materia, forma, quantitate, & qualitate veritatis compositæ, siue propositionis.

CAPVT I.

Materia, & forma propositionis.

I MATERIAM propositionis quidam antiqui Summulistæ solum prædicatum, & subiectum nuncupant, ea ratione ducti, quod sicut materia physica est indifferens ad hanc, & illam formam, ita subiectum, & prædicatum ad vniionem diuisiuam, seu compositiuam sint indifferentia v.g. *Petrus & albus*, vt asseras, Petrus est albus, vel potius, Petrus non est albus : quare cum intellectus subiectum cum prædicato vnit affirmando, aut negando, tum ea quasi informare censetur. Hurtadus d. 4. sum. l. 2. §. 4. existimat, prædicatum, & subiectum, atque vniionem esse materiam propositionis, eò, quod tria illa sint obiectum, seu materia, circa quam iudicij, Arriaga d. 2. sum. l. 2. n. 9. censet solam connexionem, siue vniionem obiectiuam subiecti cum prædicato esse materiam propositionis fortè, quia à varietate huius connexionis materia propositionis varia esse dicitur, & vel contingens, vel necessaria, aut impossibilis, vt nunc nunc patet.

2 Ipse solum subiectum materiam propositionis existimo. Namque, sicut corpus dicitur quantum, videlicet paruum, aut magnum à quantitate solius materiæ, non verò formæ : hæc enim, etsi parua molis sit, imò nullius, sed potius indiuisibilis tota, non prohibet hominem v.g. dici, & esse portentosæ magnitudinis, & gigantis instar ; contra vero, quis vocet apiculas magnas, propter ea quod

3 *Ingentes animos angusto in pectore versant.*
vt ait Virgilius lib. 4. Georgic. ita propositio dici debet quanta à quantitate solius materiæ : At dicitur quanta à quantitate solius subiecti, id est vniuersalis, aut particularis, indefinita, aut singularis, provt aliquam denominationem istarum quatuor habuerit eius subiectum, vt cap. sequenti constabit : subiectum igitur est materia propositionis. Deinde solum subiectum physicum est materia physica, seu corporea : ergo solum subiectum intentionale est materia intentionalis, siue enunciativa.

4 Ad priscos summulistas dicendum est, formam etiam, & materiam physicam esse indifferentes, vt vniantur, vel non vniantur, cum possit hæc materia esse sine hac forma, cum alia videlicet, & è diuerso hac forma sine hac materia, cum alia scilicet, vel etiam sine vlla, si sermo sit de anima rationali : Nihilominus non vtraque, sed altera tantum, quippe materia est subiectum physicum : quantumvis ergo subiectum, & prædicatum indifferentia sint,

P. Lyncei Philosophia Tom. I.

vt vniantur hoc, vel illo modo, imo, quod plus est, vt vniionem omnem cum eius carentia commutent, tamen non alterutrum, sed solum subiectum, dicendum erit è conuerso materia propositionis. Ad Hurtadum dici debet, eius argumento hoc tantum concludi, subiectum, prædicatum, atque vniionem vtique obiectiuam, & realia esse materiam extrinsecam propositionis. Nobis autem sermo est de sola materia intrinseca illius, quæ nimirum sit eius essentialiter constitutiva.

Ad Arriagam dicendum est, in primis pro varietate vniionis subiectum physicum variari : est enim corpus subiectum inhesionis respectu animæ belluinæ, propter inhesionem cum ea vniionem, & causalitatem eius materialem ; rursus erit subiectum solius informationis respectu eiusdem, si more animi rationalis creetur diuinitus, ac tantum informatiuè vniatur corpori, sine vlla ab eo dependentia causæ materialis propria, sicut non repugnare existimat, tum Arriaga, tum etiam cum eo plures alij : exinde autem quis inferat, vniionem physicam subiecti rationem sortiri ? Item secundò, subiectum dicitur physicum, aut logicum, vel iuxta aliorum phrasim, eamque non minus receptam, metaphysicum, provt vniio fuerit physica, aut metaphysica, aut logica, siue solius rationis : quo pacto animal v.g. est subiectum physicum candoris, & metaphysicum rationalitatis, esto in se idem sit, & sola vniio, ac forma diuersæ : quare sicut eadem materia diuersam rationem subiecti subit, pro sola diuersitate vniionis physice, aut metaphysice, quarum neutra subiectum est, nisi ad summum in obliquo, & connotatiue, ita eadem materia propositionis dicitur contingens, si vniio, seu connexio prædicati cum subiecto contingens sit, vt in hac, homo currit, & necessaria, si ea connexio necessaria sit ; vt homo est animal, & remota, seu impossibilis, si vniio, aut connexio impossibilis sit, & non tam connexio extremorum, quam eorum remotio ; vt homo est lapis. Proinde materia propositionis eam triplicem denominationem, non absolutè, sed respectiuè, & in ordine ad prædicatum suscipit.

6 Formam propositionis Hurtadus supra laudatus consequenter totum iudicium appellat, eo, quod obiectum, seu materiam, circa quam extrinsecè denominet, & quasi informet ; Cæterum non magis propriè, quam à Platone anima, seu forma humana totus homo appellatur. Arriaga significans vniionem obiectiuam esse materiam propositionis deberet consequenter assignare, pro eius forma, extrema, videlicet subiectum, & prædicatum ; quæ tamen ambo simul sumpta adeo procul arbitror esse à ratione formæ, vt nulla egeat probatione eorum à forma propositionis distinctio : tam est me iudice certa, ac manifesta : Quare tam ipse, quam fermè ceteri Dialectici, præsertim verò Conimbricenses in c. 4. de orat. quæst. 4. art. 5. §. *multò aliter* : ac Baltasar Tellez part. 1. sum. philosoph. disp. 12. sect. 2. n. 2. vniionem formalem, seu copulam per verbum, est, expressam propositionis formam censent : sed immerito, quia vniio humana ex.g. eius forma non est ; ergo similiter vniio enunciativa non est enunciationis forma. Quapropter solum prædicatum est forma enunciationis, eo, quod, instar formæ physice cum subiecto comparatæ physico, subiectum enunciationis afficiat, ac denominet. Porro vtraque nostræ doctrinæ pars, videlicet quod subiectum sit materia propositionis, & quod forma illius prædicatum, est perspicuè sententia Soti qu. 5. prædicab. vt breuitatis causa prætermittam alios non paucos.

M

CAPVT